





Voy



John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library

Brown University


Purchased from the

Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

43

2590
426





DE
TETANO
TENTAMEN MEDICUM,

QUOD, Deo duce & auspice Dei-pará, in
Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi,
tueri conabitur

AUCTOR,

CLAUDIUS - LEONARDUS CHOTARD,
ex urbe LEOGANE, in Insulâ San-Dominicâ
apud Americanos, Liberalium Artium Magister,
& jamdudum Medicinæ Alumnus, die 11.^o
mensis Novembris anni 1777.

Pro Baccalaureatûs Gradu consequendo.



MONSPELII;

Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis Medicinæ
Typographum unicum.

M DCC. LXXVII.

PRICE



ILLUSTRISSIMO, CLARISSIMO, SPECTATISSIMO,

NOBILI VIRO

D. D.

DANIELI-JOANNI GUILLON,
REGIS SECRETARIO, &c.

*V*IR COLENDISSIME,


*AB omni ævo, Scientiarum studiosis solemne
fuit labores suos Viris virtute claris consecrare;
paucis verò, admodum ea quæ mea nunc est,*

felicitas obtigit. Nec minimas inter laudes tuas recensebo eam diligentiam quâ Educationi meæ invigilasti, studiorumque ardorem fovisti. In me igitur collata Beneficia solvere debui; tantorumque meritorum in æternum memoriam servabo. Sicut mihi hætenus, sic in posterum Præsidium sis, supplex oro. Hæc vovet animo,

VIR COLENDISSIME,

Deditissimus & obsequentissimus

G. L. CHOTARD.



DE TETANO.

TETANUS est obrigescentia spasmodica maximè Musculorum Trunci, Colli, Mandibulæ inferioris. — *Tetanodeas* Affectiones nominamus aliarum partium obrigescentias acutè ut plurimùm decurrentes, quæque fieri observantur in Palpebris, Suris, à Catalepticis dispares ex eo quòd partes obrigescentes dimoveri nequeant, nisi summâ cum violentiâ.

Tetanus Universalis feriatas mentis operationes habet, Aspectum torvum, aut fixum; Oculos florulentos, quandoque Lacrymantes; os firmiter clausum; Deglutionem, Respirationem sic difficiles, ut potus partim per nares refundant, hujus quâdam portione per Rimas faucium spontè in Ventriculum descendente; Ventriculum & Intestina convulsa, quippè murmur quandoque edunt, quale è Cellis subterraneis educitur. Interdùm adjunctos habet *Trisnum, Risum Sardonicum, dentium fridorem, & tenuis saliva* ore fluit. . . Truncus & Artus, Cervix rigescunt statuarum ad instar, & musculi affecti sic intumescunt, ut in cute appareant horum Circumscriptiones. . . Alvus est constanter adstricta; urinæ aliàs supprimuntur, aliàs spontè fluunt.

Observavit *Firminus* ægros in dorsum relabi, si alia ipsis impertiatur positio. . . Pulsus habent vagos, intercurrentes, adstrictos, interdùm tamen chordosos. — Varietates sequentes observatæ sunt: quidam de repenti, alii successivè corripuntur; quidam mente constant, cæteras dùm per partes affectio est. Hi tamen ad *Maniam* sunt proclives... Mentis firmitas multis observata est, & præsertim *BONTIO, LINNÆO, MACBRIDIO, ECCLESIO, in Aëtis EDIMBURG*; quod quidem systemati *WHITTII* oppositum est.

Inter eos quos occupat primus veluti gradus *Tetani*, morbus observatur incipere *Crampis*, dolore acuto sub Sterni apice, quasi eo loco quid introrsum trahatur; Maxillas absque dolore diducere nequeunt; Deglutitio, Respiratio sunt impeditæ; Caput modò antrorsum, modò retrorsum trahitur; per intervalla Sterni dolor temperatur, & in hanc rationem crescit difficultas Maxillam in-

feriorem deducendi, Deglutiendi, Spirandi. Sæpius ob metum *Spasmi* quem patitur æger circa œsophagum, alimenta respuit. Dolor vires adeò frangit ut decumbere citò cogatur æger. Alii quarto quinto-vè die *Tetano universali* corripiuntur, dum alii per mensem & ultrà dolorifico hoc *Tetano* laborant, ut refert *POUPPÉ DES PORTES*.

Nonnulli horrendos *Ejultus* edunt; alii aphoni sunt. Vigiliæ accedunt ad omnia rebelles, aut si somni accedunt, breves sunt & terrifici. Crampis cruciantur; subsiliunt tendines, plures febricitant, nec æqualis est gradus harum affectionum. — Nullus est in hoc morbo dies decretorius, & in hoc recedunt Recentiores ab *HIPPOCRATE*; neque spectatâ *Tonicæ convulsionis* naturâ, aliter fieri potest. — Ubi ferox est morbus, triginta sex horarum spatio, Morte definit; is autem si superetur, diù debiles & infirmi manent ægotantes; & ex iis plures *laxitate membrorum* laborant.

Tetani particularis præter eas species quas sub nomine *Empyrophotonos* & *Opisthotonos* habet *HIPPOCRATES*, dantur quædam quæ ad *Epilepsiam* inconsultò revocatæ sunt à *BILFINGERO*: & jure dixit *GALENUS* alium esse *Tetanium tremulum*, alium *palpitantem*, alium *vibrantem*, alium *tonicum*; una ex his speciebus nuperrimè *MONSPELII* visa est. Homo quidam ætatis suæ annum agens septuagesimum, quâdam Pectoris summè dolorificâ angustia, cum Spiratione difficili, palpitatione Thoracis, Deglutione impeditâ, pulsu chordoso, laborabat. Recidivas patiebatur hæc affectio per intervalla, alvus adstricta erat, & ineunte Paroxysmo decumbere cogebatur æger. Agnitâ Morbi essentiâ quæ medicationes à malo Artifice adhibitas superaverat; Kina-kina, & anodynus absoluta est Curatio. Graphicè species hujus generis Anomalas pingit *HIPPOCRATES*: « jam verò, inquit, alius » *Tetanus* est. Totum Corpus convellitur, aliquandò verò quæcumque corporis pars. Primum quidem æger obambulat, postea progressu temporis, » in lectum cadit, & rursus remittit & Dolor & Convulsio; & si surrexerit, » & fortassis ad paucos dies convaluerit, postea in eisdem Affectionibus » jacet, atquè hæc patitur, & transmutat per multum tempus; & si » quid comedit, non secedit infra nisi difficulter, atquè hoc combustum (1). » Ac in Pectoribus hæret cibus, & suffocationem inducit ». An jure sedem superius enarrati morbi in *Musculis respirationi inservientibus*, posuerit *BARBEYRACIUS* (2)? Dubitandi locus est, ex quo apertione Cadaverum visa est angustari Aspera-Arteria.

Aliam speciem vidit *BONETUS*, in quâ media pars una corporis resoluta, altera *Tetano* correpta erat: & aliquandò sic quasdam partes resolutas

(1) *Cur nigrescant Feces in Spasmo primarum viarum docuerunt QUESNAY, DE GORTER.*

(2) *Traité des Maladies de la Poitrine & des Femmes.*

7
videmus in Morbis *Tetanodeis*. — Jure autem Risum Sardonicum, Trismus, Strabismus, Satyriasmus non deberi generaliter referri *Tetano*, indicat *DE HAEN*. Nec, nisi sive climatis ratione, aut peculiaribus phænomenis cognoscatur symptomatis *Tetani* antecedentibus hæc annumeranda esse, nomine *Tetani* accipi debent.

Undè, alii sunt *Tetani* extremè continui; alii alternantes. . . Alii potissimum magis à mobilitate pendentes quam à materiâ, & è contrariò. . . Alii sunt idiopathici; alii consensuales; alii symptomaticei. Sic symptomaticei sunt, qui febribus malignis, puncturis, læsis. Tendinibus accidunt.

C A S U S.

Nihil præter *rigiditatem* in partibus internis post mortem vidit quandoque *MORGAGNI*. Quam ideò speciem spirituum Vitio tribuerunt *Veteres*. Aliàs Seri effusiones, Abscessus, Caries, Læsiones partium nervosarum, sive fiant Aculeis, Calculis, Vermibus, Bile atrâ, acri, causticâ, reperta sunt. quandoque Uterum Erysipelate erosum, Obstetrice laceratum. — Observat *MORGAGNI* nullum sæpius esse vitium in parte percussâ, à quâ originem ducere apparuit *Tetanus*: sed Vitium apparuisse in partibus distantioribus.

Observationibus Clinicis patuit accidere hoc convulsionis genus, in eis qui sub fervido sole vitam agunt, si præsertim aëris inclementiis exponantur; & minimâ de causâ, ut Puncturis, Animi Commotionibus, Vitio primarum viarum, Dentitione, in eis excitari *Tetunum*.

Hunc morbum supervenisse Abscessui *Tonsillarum* refert *DE HAEN*; Abscessui circà pericranium: *POTEAU*; Cariei antri *HYGMORI*; sic & etiam accidit in morbis malignis, corruptelâ, humorum inanitionibus; sive fiant morbo diuturniori, Venere, Labori immodico, Sudoribus profusis, hæmorrhagiis, fluxu alvi pertinaci, suppurationibus. . . . Potu fit aquæ frigidæ eo tempore quo vulnera detergantur, Abortu, Polypis, sanguinis discrasia acri & viscidâ, Frigore nimio, Medullæ spinalis irritatione, irâ coercitâ, Venenis acrioribus, fungis, Draconis marini puncturâ, materiâ intermittentium larvatâ, intropulsis Podagrâ, Scabie, eruptione Syphiliticâ, Variolosâ, Rubeolosâ, Milliari, supresso frigore febrili; ex quibus patet quàm parùm fidendum sit *Empeireiæ*, quam genuit difficultas concursum causarum amplectendi, sive sint Proegumenæ aut Procatharticæ (1).

Causarum harumce evidentium, cùm observarent *DOGMATICI* insuffi-

(1) Fateri necessarium duco sic componi diverso modo Morborum causas, ut singulari modo in diversis individuis afficiatur Vis Vitæ; adeò ut generalior Therapeia in errorem ducat.

cientiam ad enormes motus producendos, ad causas *abditas* recurrerunt. Quidam advocârunt *Naturas Medicatrices*. Sed præter ea quæ obijcit *BALLONIUS*, & quæ prætermittimus, nihil est in *Tetano* decretorii; & errorem *HIPPOCRATIS* emendant Recentiores. . . . Alii, *Spiritus* nimium agitados, coinquinatos, inanitos, aut abundantiores. Sed nec constat de Spirituum existentia, nec ullum cognoscitur in rerum Naturâ fluidum, per quod celeritas & regularitas functionum fieri possint. . . . Methodici *stricto* & *laxo* recurrerunt, iis verbis confundentes Duritiem, Angustiam & Convulsionem.

Sensu vacant suppositæ Nervorum obstructiones, interruptum æquilibrium. Obstructioni enim opponitur Motus: æquilibrium suppositum tanquam vitæ causa, hanc necessariò destrueret, & summa virium intenditur in convulsione.

Inanitiones, Repletiones, Corruptelæ, Stimuli, causæ sunt determinantes & non efficientes. — Nec aliter concipi potest causa Convulsionis quam attendendo ad irritabilitatis facultatem, sive, ut volunt alii, ad Principii Vitalis Energiam; quod ingrâtè affectum, ruit in motus vividos & erroneos, stabili tenore corrupto: — Nec hic perpendemus nûm acri sui generis *Subtilisatum* aut *Viscidum* causæ sint stimuli de quibus pugnant inter se scripta *BELLINI* & *PIQUERII*. Subjectorum enim varietati, & causis prorsus oppositis evidentibus, quibus instrui debet Curatio, magis solliciti erimus.

Ut autem speciei Convulsionum quæ *Tetanus* constituunt, quique superius enarratis partibus affectis constituitur, rationem reddamus phænomenis ducti; sedem Morbi immediatam reponemus in origine (1) Nervorum Cervicalium, & si quoddam accidat Epi-phænomenum, id consensui tribuimus. *Ubi enim oblongata Medulla per foramen magnum occipitis medias per colli vertebrae proficiscitur, binos in hac regione variis filis de se mittit nervos; quos WILLISIUS accessorios octavi paris nominavit. Variis enim vicibus & locis mutuos sibi nervi hi bini mittunt ramulos; in consortium etiam trahunt nervorum Cerebri nonnum par, atque nervum intercostalem. Hic deinde Accessorius nervus ferè omnes externas faciei partes & puncta quævis salutat, ita ut, omnia hæc dicta puncta vel immediatè vel mediatè in Consensum trahantur, ipso malè habente.* BILFINGER, in Lib. de Tetano, pag. 70. §. 14.

Non vacat descendere in singula phænomena quæ ex accidente fiunt. Nûm frigore densatâ Cûte, ut vult *SWIETENIUS*, & refluxu acrimoniæ, accedat *Tetanus*; ubi mortis prænunciatus est? Nûm sanguine misso aut

(1) Ab hac doctrinâ nûm videntur recessisse Veteres, quibus mos erat scarificationes in hoc morbo, circa dorsi longitudinem præscribere?

9
destructo nascatur *Tetanus*, quia pars sanguinis rubra est humoris biliosi
contemperans, ut vult *MARTIANUS*? . . . Quippè quæstiones illæ aut
parvi momenti sunt, aut in Curatione illustrabuntur.

P R O G N O S I S.

Morbus est periculosissimus, vires per se effatas reddens, sive quia stric-
turâ nervi læduntur, sive quia rigescentibus præcordiis, minuitur Circulatio
& humores suis spontaneis motibus permittuntur. Vidit *LANCISIUS* subita-
neam mortem convulsioni præcordiorum, à causâ externâ productæ, pen-
dentem. — Soler in isto Climate accedere *Tetanus* in febrium acutarum,
ardentium, malignarum præludio, & plures tunc de Medio tollit. Si acce-
dat diuturniori morbo, hæmorrhagiæ rebellis, fluxui alvi pertinaci, superare
solet Artificis potestatem. Subsidentia tumorum superveniens aut sudoribus
colliquatis, nullam spem salutis promittit; morbo enim gravissimo super-
venit. . . . à Drastrictis remediis, Ebrietate, usu Cantharidum, refluxu
virus venerei productus, maximum intendit vitæ periculum.

Funestissimum est resolveri quasdam partes, præsertim si resolvantur
Maxilla inferior, & Deglutitionis Organa.

Initio ægrum ejulare, nugari, & spontè per nares remove, mortis est
signum ex *HIPPOCRATE*. — Major est spes salutis, dum à Bile corruptâ
circa Præcordia hærente pender, quàm si in ipsâ nervorum origine pri-
mariò hæreat ejus causa. . . . In junioribus levi de causâ fit, in adultis
majori. . . . Exiguæ & si partes distendantur in morbis difficilis sunt exitus.

Febris, nisi sit de intermittentium genere, quæ huic morbo accidit,
periculum auget; ut in *HIPPOCRATEM* arguit *Cl. HELWICH*. . . Super-
veniens febribus biliosis urina prior tincta, & subito facta tenuis, non
lethalis est, si à mobilitate fiat. — Urinæ sedimentum *genituræ* simile,
non affert salutis indicium; ut in *HIPPOCRATEM* notat *HAENNIUS*.

Si pulsus citò fiat velox, plenus & per intervalla subsideat, nisi à ple-
thorâ hæc fiant, mors instat.

C U R A T I O.

Ex *GALENO* patet facultati animali omnes convulsivos motus tribuisse
Veteres (1); sed circa causas horumce motuum inordinatorum varias am-

(1) Unanimi Consensu fatentur Recentiores Spasmi Doctrinam Veteribus
fuisse incognitam; hanc, inter *PARACELSI* Deliramenta, qui Spiritus
perturbationi, Morborum causas & curationes ut plurimum tribuebat, &
quem Perturbatricis Medicinæ ideo Auctorem dicunt, natam esse; & ulte-
rius elaboratam, ex Renovatione Litterarum, à *WILLISIO*, iisque qui
nervorum dissectioni studuere.

plexi sunt *HIPPOCRATES* & *GALENUS*, acceptiones. *Tetani* binas species admisit *HIPPOCRATES*, scilicet *Tetanium* à *repletione*, & *inanitione*; tertiam addit *GALENUS* ab *irritamento*, qualis fit à venenis acribus Stomachum lædentibus. Hoc nomine *Repletionis*, conditionem habet nervorum *GALENUS*, quam fieri credit in *Tetano* vel *Materiæ* copiâ, vel inflammatione, vel aggestâ viscidâ & acri Pituitâ: nomine *Inanitionis* habet *siccitatem* nervorum, seu privationem humoris *Spirituosi* quo irrorantur. Hinc apud eos indicatio, copiâ excedentem materiam educere; crassioresolvere; acriorem temperare; ac dein expellere, sive Scarificatione, aut Stimulo, naribus, ano, pelli indito, ubi Deglutitio omninò est impedita. Speciem *Tetani* ab *inanitione* productam, Artis potestatem eludere arbitrati sunt. Media autem quæ adhibuere, multa violentissima sunt; & pleraque ex his aptiora visa sunt multiplicandis Morbi causis, quàm Morbi curationi. Damnata sunt à plerisque Recentiorum Ptarmica, & usus ægrotantem igni admovendi urenti; cùm satiùs sit ægrum lecto detinere, & blando calore fovere, in quantum Corporis refrigeratio desiderat. Usus scarificationum crudelis est, nervorum irritationes promovens; & parùm nunc etiam in *INDIIS* succedit. Balnea frigida quamvis adhiberi queant ad temperandum excedentem calorem, tamen ubi admoventur in morbo à Lentore viscido pendente, congelatione sæpiùs enecant; & si aliquandò febrem movent, id casu absque utilitate fit.

Diù agitata in Scholis quæstio febrem Arte movendi, ad morborum solutionem, *Vacua* deprehenditur; & jurè experimenta desiderat *HELWICH*, quæ hujus praxis Auctores fulciantur. Quæ etiamsi succedant quandòque, exulandum esse remedium quod sæpiùs nocivum deprehenditur, fert *SCHLADER*. Nolumus, inquit *HOFFMANNUS*, ejusmodi curationis genus ulteriùs deprehendere, cùm longè tutius sit medicamentis validioribus, quæ Motum injungunt humoribus, causas Morborum remove. Et si, ut sæpè fit in *Tetano*, superabundent Quisquilæ putridæ, quid in hoc Casu de febre sperandum! Exceptionem tamen afferam, quam dedit casus nuperrimè observatus, & cui fiduciam dabit *WERLHOFII* observatio.

Mulier anno circiter vigesimo-quinto ætatis suæ, à quindecim diebus *Tertianâ* laborans, casu è lecticâ delapsa est. Terrore perculsa, *Tetano* correpta est. Ob subjecti dispositionem, Materiem febrilem ad nervorum originem migrasse cogitatum est, & revocare Paroxysmum ideò indicatio fuit. Odore flagranti, Vesicante, Clystere acri liberatâ paululùm Deglutitione, adhibitum est emeticum. Eductâ sordium haud exiguâ quantitate, febrilis Paroxysmus apparuit. Pulsus etsi frequens, laxus, debilis fuit. Ideò *fractâ dosi*, Kinâ-kinâ, & radice Valerianæ sylvestris adhibitis per Paroxysmi decursum, qui triginta-sex horarum spatium vixit, solutus est cum Paroxysmo febrili *Tetanus*.

Sed hujusmodi febres intermittentes moveri si liceat, nulla salus spec-

tanda esset, si febris accessisset *inflammatoria*, aut *ardens*. Ideò desiderabat *AVICENNA* febrem ephemeram; sed febres semel natas coercendi nulla cognoscitur certa Methodus: & res se alio habet, ubi ex subjecti conditione ad febrem *intermittentem* est dispositus.

Inter Veteres quædam utilia protulere Methodici, in multis *HIPPOCRATI* oppositi, *Striçtum* solvere volentes. Calorem moderatum desirârunt, & eò magis quod, quasi congelati videantur *Tetano* affecti. Damnârunt ideò repetitam Sanguinis Missionem (1), violentiores *HIPPOCRATIS* Medelas; & à causâ *siccâ & frigidâ*, ut plurimum oriri *Tetanus* arbitrati sunt. Molli unctione *Striçtum*, frictione humores *torpentes*, resolvere conati sunt. Iis adjungere Pneumatici usum temperantium, sive sint Stupefacientia, Antihisterica; & specialem *Tetani* curationem, dùm Ebrietate & Crapulâ pendet.

Illustratata est adhuc Curatio hujus morbi, ubi Puncturâ, Vulnere fit, à *FERNELIO* qui dilatandi Methodum primus inter Auctores Celebres laudasse videtur.

Apud *INDOS*, Medici therapëiam *turbulentam*, ut cum *QUESNAY* loquar, exercent. Variis utuntur Methodis, & Veterum curationibus, paucis mutatis, inhærent. . . Ubi pulsus viget, quadruplici membro sanguinem mittunt. Colocynthidem, tabacum, sal marinum in enematibus præscribunt, aut si libera sit deglutitio, Emetico primas vias expurgant. Cardiacis dein, Theriacalibus, Calore, sudores movent. Revellere dein materiem in dorsum intendunt, frictione repetitâ, scarificationibus circa dorssi longirudinem.

Alii totum opus sudori committunt; & prout viget aut obscuratur pulsus, Balneum calidum, aut frigidum præscribunt, & cutem unguinosi emolliunt: Catharsim omittunt. Sic ad sudores disposito ægrotante, ipsum lecto commendant. Ii omnes *paucorum successuum* se Auctores esse fatentur. Famam majorem sibi comparare videntur *Vetulæ & Nigritæ*, *Tetanus* curare fatagentes. Sed repetitis frictionibus etsi quidpiam obtinere queant, tamen, meo judicio, *specioso* remediorum apparatusi & *mirifico* operi laudes debent.

Curationem se obtinuisse catharsi repetitâ, refert *FIRMINUS*; Venæsectione post lapsum ex alto, refert *DES PORTES*: hinc necessitas variæ Methodi. Dùm largas laudat Venæsectiones *BONTIUS*, oppositos habet *ASCLEPIADEM*, *MARTIANUM*, *HOFFMANNUM*, *ELLERUM*: nam

(1) *Rationum momentis futilibus refellere conatur CELSUS, Methodicorum principia, qui in sanguine sedere Calorem docebant; non minùs tamen ductus erat observatione, cum constet aliquandò Sanguiniseductio nem proficuum esse.*

præter quod harum adhibitionem non permittant vires. Cum *Viscidum* resolvendum est, robur, & vis Cordis necessaria est.

Notum est recens natos magis quam adultiores *Tetano* affici; *Nigritas* aëris inclementis in Climate retorrido adeo variis, magis etiam affici. Hinc constat *Vim irritabilem* singulari dispositione auctam esse in hoc Morbo; & diversis causis etiam oppositis inter se, excitari posse; & molestâ irritatione factâ à Stimulis aliâs solitis, tamen præternaturalibus, in etiam ipsâ debilitate Systematis Nervosi, Morbum hunc produci posse; aliquando minus peccare Materiem morbosam, quàm nimiam solidorum irritabilitatem. Hinc tenor ille *Stabilis* quo sanitas fit, peccat, & proritur in motus enormes *vis Vitalis* sub diversâ Corporis conditione.

Et quis bono animo, fiduciam dabit igni retorrido, sudoriferis, mercurialibus, diureticis, drastis, in morbis inflammatoriis quorum symptoma quandoque est *Tetanus*? Quis Anti-phlogisticis, ubi generalis laxitas prædominium tenet? Quis Anti-spasmodicis acrioribus, ubi à *sensibilitatis* consensu cum *irritabilitate* nascitur? Quis Narcoticis, ubi Paralysis indicium est? His principiis illustrati, quasdam curationes referemus.

Mulier primi-para, anno suæ ætatis vigesimo, die ipso quo enixa est, *Tetano* correpta fuit: Res desperata apparebat; nulla erant Lochia. Multiplici Venæ-sectione & Balneo laxatâ *solidorum tensione*, non melius se habuit. Gulosa erat; & vi diductis Maxillis, emeticum præscriptum est, quo magnâ copiâ sordium eductâ, liberata est; nec ullum Lochiorum, etsi sanguinea foret, apparuit vestigium. Ex quibus patet, ut observat *WHITTE* (1), minus à suppressis Lochiis pendere *Parturientium* Morbos, quàm à conjunctionibus Morborum. Casum etiam vidit CL. *FOURNIER* (2), in quo post Cerebri commotionem, succedere purgantia & vesicantia: commota enim erat Materies putrida. Unde nos fallere causarum occasionalium considerationem, consequens est.

Infans ob dentitionis dolores *Tetano* correptus, Narcoticis & levioribus Anti-spasmodicis, curatus est: vigeant enim *Vires Vitales*.

Mulier Hystrica *Tetano* correpta, odore aceti radicalis, & emetico liberata est. — Alteram liberavit *POTEAU*, apertione Abscessus circa Pericranium hærentis.

In contusione tendinum, partis incisio, applicatio Balsamicorum citò instituta, succedere. Unde Vacuitatem plurimorum Topicorum, Methodi generalis videre est. Hæc in tantum commoda, in quantum ignorantiam larvant, & *ægotantium animos lætant*.

In Lectum decumbere ægotantem convenit, & Circulationi favere quæ

(1) *Vid.* Avis aux Femmes en couche.

(2) *Vid.* Mémoires présentés à M. le Duc de CHOISEUL.

Spasmo. etiam intercipitur; ut *LANCISII* enarrata superius observatio docet. Ideò si Vires sint oppressæ, mittendus est Sanguis; ac dein Stimulo, Naribus, Recto, Pelli indito, systalticos motus excitare. Aceto radicali, aut spiritu urinoso Nares stimulentur, Anus Clystere acri. Si tamen Subjecti temperies *mobilis* sit, præstat Enemata unguinosa, Balnea tepida, aut Embrocationes oleosas præscribere. Plurimum valent, ubi Vires languent, Vesicantia, Epispastica, frictiones quæ sive in artubus, sive juxtà longitudinem dorsi fient. . . . Maxilla inferior, si illis non liberetur, Vi, aut Trochleâ *CELSTI* est deprimenda; & Stimulo interno utendum est, sive Emetico, sive Cardiaco volatili. . . Cavendum à Balneis, si Vires sint multum infirmæ, nè *insaniam occisi subeat, quem Mors ipsa perimit.*

Confert autem pendere num locali Vitiò debeatur *Tetanus*. In quo Casu dilatanda Vulnere; emolliendum partium *Strictum*; Abscessus aperiendi; semi-laceri Nervi ulteriùs secandi: prout desiderant circumstantiæ. Notum est magnâ vi pollere ad Nervorum *irritationes* temperandas, Balsamica.

Quod si Dolor urgens *Tetanus* antecefferit aut concomitatur, Stupeficientia præscribenda; quod si vigeat Diathesis *Phlogistica*, aut metus sit Hæmorrhagiæ, hæc Acidis sunt maritanda; si Vires langueant, Anti-spasmodicis, Roborantibus uniantur. Nè Congestiones adeò metuendæ nascantur, ideò *Laudanum liquidum SYDHENHAMI* suaderem magis quàm Laudanum.

In *Mobilitate* summâ experta est Moschi Energia à Clarissimis Viris *LEWIS, VALL, LE FEBVRE*. His, si impediatur Deglutitio, ad Scrupulum usquè unum priùs saccharo dissolutus, sub formâ Clysteris exhiberi debet. — Laudavit *POTEAU* Camphoram in Inflammationibus Erysipelaceis Viscerum, & præstat hâc uti, si abusu Cantharidum nascatur *Tetanus*. — Balnea laudat *SWIETENIUS*, si æstus & mobilitas sint coerenda.

Sudoriferorum exhibitio in paroxysmo, ob impeditam Deglutionem, impossibilis est; &, solutâ Deglutione, ea præscribebat *BONTIUS*. Dùm verò ut priùs se res habet, volebant Antiqui ægrotantem disponi ad sudores per Remedia externa. Hæc autem Methodus exulanda videtur, cùm à *Siccitate* ut plurimum Morbus oriatur. Ea se adhibuisse, dùm suppressæ Perspirationis restituendæ locus erat, fert *SAUVAGESIUS*. . . . Sed nullum latet Catharrales Morbos esse sæpiùs inflammatorios, & Colliquatis noxium esse acrium usum.

Hydrargyrarum empiricè commendatam ad Solutionem *Tetani* legimus in *Diario Gallorum*. Ast nihil est in hydrargyro quod oppositum sit diversis causis *Tetani* Materialibus. Successit hoc Remedii genus viribus frictionis.

Topica inter, laudant Edimburgenfes Medici emplastrum Anti-hystericum.

72-146
Wormser
3.3.95

14

eum Opio , in *Spasms* infantum à Lumbricis extratis. Minus fidendum Stercori Equino , ad laxandam maxillam inferiorem , quod adhibebat *PAREUS* , ut vult *DE HAEN*.

Paroxysmi recidivæ avertuntur , medendo Debilitati nervosæ , quam superius diximus succedere *Tetano*.

F I N I S.



DISPUTATURI
N. N. D. D. PROFESSORES REGII ,

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT , *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ , *Cancellarius & Judex ,*
Adjunctus.

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE , *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY , *pro Decanus.*


N. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.


N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUX.

N. D. JOANNES SABATIER , N. D. LE ROY , *Coadjutor.*







E777
C552d
1-512E

